

De Sacrofanta Eucharistia quæstio Theologica, proxime disputanda

in doctoratu R. P. Ioannis Fabri, Cathedralis Ecclesie Augstantæ Concionatoris.

AN EVCHARISTIAE SACRAMENTVM SVB utraq; specie fit Laicis ad salutem necessarium?

PROPOSITIO PRIMA.

CHRISTVS Dominus noster, ut quod uarijs olim typis adumbratum fuit, id ipsa rei ueritate exhiberet atq; compleret, in ultima demum cæna cum iamiam moriturus esset, longè augustissimum instituit Eucharistiae sacramentum. In quo non gratiam modo sicut in sacramentis reliquis, sed seipsum quoq; fonte omnis gratiae, uerum nempe Deum & hominem, nobis exhibere, & summa quidem cum charitate, dignatur.

PROPOSITIO SECUNDÆ.

Exhibet autem sub rerum sensibilium formis, panis ac uini uidelicet, uerum corpus sanguinemq; suum sub formis illis contentum realiter atq; substantialiter. Exhibet, inq;, ut uerum animarum nostrarum cibum simul & potum, quo in uita illa diuina, quam à spirituali regeneratione auspicati sumus, alamur, confortemur, conseruemur, & in ipso demum per sacri huius mysterij communicationem perpetuò maneamus.

PROPOSITIO TERTIA.

Verum in hac sacra communicatione, ut Christi uoluntatem scopumq; cognoscamus, duo nobis precipue proponuntur atq; commendantur, Alterum ut dominice passionis & amarissimæ mortis recordemur illius, qua Christus credentes liberat à peccato, morte, diabolo, infernoq;: Recordando autem ad agendas gratias Redemptori perpetuò extimulemur. Et hinc nomen illud εὐχαριστία. Alterum ut Ecclesiasticae unitatis atq; societatis memores (illius enim hoc preclarissimum est symbolon) & Christo capiti, & membris mystici eius corporis, quod est Ecclesia, coniungamur, nō quidem spiritualiter modò per fidem & charitatem, uerum etiam corporaliter atq; substantialiter, idq; summo cum nostro fructu, & donorum tam capitum quam corporis eius mystici participatione. Hinc no-

PROPOSITIO QVARTA.

Iam etsi Christus hoc sacramentum sub utraq; specie instituit, institutum dispensauit, atq; iuxta ritum eundem confici & sumi commendauit Apostolis suis, nec non horum successoribus omnibus, qui legitime quidem ordinarentur: Attamen nullo Christi precepto, nulla diuinæ scripturæ authoritate, Ecclesiae veteris consuetudine nulla conuincitur, utramq; quidem sacramenti huius speciem ex æquo omnibus ad salutem necessariam esse.

PROPOSITIO QVINTA.

Proinde cum unus idemq; Christi spiritus existat, qui Ecclesiam certò doceat, perpetuoq; gubernet, atq; adeò ipsam firmamentum & columnam omnis ueritatis efficiat, illud citra huius sacramenti, citra Christi iniuriam obseruasse credenda est Ecclesia, ut sub altera duntaxat specie sacramentū hoc Laicis dispensaretur.

PROPOSITIO SEXTA.

Qui communicandi modus cur tot ab hinc seculis receptus, & magna cum fidelium populorum unitate retentus hucusq; fuerit, etsi nō definit tam figuræ ueteris testamenti, quam noui exempla quædam & testimonia, quæ huic fauente instituto: Attamen totius Ecclesiae Catholicæ consensus, & sacræ quidē Oecumenicæ Synodis comprobatus, tantum nō per uicacibus quid sentiendum esset, persuadere poterat atq; debebat. Præsertim cum idem ritus fidem orthodoxam nobis confirmet aduersus eos, qui Christum sub utraq; potius specie, quam sub altera duntaxat contineri pessimè putant, eoq; requirunt utramq; illam, uti ad salutem omnium necessariam.

PROPOSITIO SEPTIMA.

Accedit quod neq; Christianis ubiq; sit uini sufficiens copia, neq; facultas & aptitudo cunctis sumendi calicem, ut in abstemij & infirmis plerisq; uidere est, neq; præcaverti semper ingentia pericula possint, quæ magistra rerum experientia teste committerentur, siue in effundendo calice, siue in conseruando & defendo sanguine. Præsertim cum passim tanta se offerat ineptorum, & improvidorum sepe hominum turba omnis aetatis, & sexus, & conditionis. Hæc autem gravis iniuria in summum hoc sacramentum haud raro committeretur, si sanguis dominicus nulli non propinaretur.

PROPOSITIO OCTAVA.

Quare non possunt magnam temeritatis notam effugere, qui neglecto hoc Ecclesiae sanctæ tam uetusto, quam probato & rationabili more, priuata quadam authoritate id sumunt sibi, ut uel dispensare, uel sumere audeant hoc sub utraq; specie sacramentum.

EX HIS breuiter concludimus, ut quæstiōnē proposita respondeatur, Eucharistiae sacramentum sub utraq; specie ad salutem Laicis haud necessarium esse.

In academia Ingolstadiensi Anno post CHRISTVM natum M. D. LII. Mense Februario.

Dicitur Memorijs proximo a pandio disputabitur.

ΛΜΙΧΦΟΙΤΙΩΤΟЯ

TRADITION SIGN AND

... que se ha de tener en cuenta para la ejecuci髇 de las ordenanzas y de los decretos que se han de aprobar.

TRAPOSITIOS SITIOS MITAS

Laetare Iudea pro Christo regnante anno 1511. M. D. LII. Misericordia.

Individually among the names of friends & co.

A. 1552.